



DIE IX AUGUSTI

IN FESTO

SANCTÆ PHILUMENÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

DUPLEX

Omnia de Comm. Virg. Mart. præter seq.

Orat. Deus, qui inter.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

INTER cætera Martyrum sepulcra quæ in cœmeterio Priscillæ ad viam Salariam reperiri solent, illud extitit quo repositum fuerat sanctæ Philumenæ corpus, uti ex tumuli inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis, et alia insculpta conspicerentur martyrii insignia, dolen-

dum tamen est, res ab eodem gestas, actaque ac genus martyrii quod ipsa fecit, obscura perstitisse. Cæterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficentia Pii septimi, initio pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis populi propositum fuit Mugnani in Nolana dicecesi, ingens illico famæ celebritas ac religio erga sanctam Martyrem percrebuit, præsertim ob signa quæ ejusdem præsidio accessisse undique ferebatur. Hinc factum est ut complurium Antistitum, cultorumque Martyris postulationibus permotus Gregorius decimus sextus, Pontifex Maximus, universa rei ratione mature perpensa, Fe-